



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tentatio I. Circa explicationem peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

CAPUT II.

DE TENTATIONIBUS CIRCA CONFESSIO-
NEM OCCURRENTIBUS.

XII. **E**Tiam circa hanc variæ non rarò tentatio-
nes occurrere solent; nam interdum alij
qui circa explicationem, peccatorum, alij circa dolo-
rem, aut propositum, alij ob præterita peccata, alij
ob diuturniorem ante confessionale expectationem,
alij ob Confessarij discessum tentantur; pro quibus
proin omnibus tentationibus opportuna arma in hoc
capite suggerentur.

§. I.

*Tentatio 1. circa explicationem pec-
catorum.*

L. **A**Pollonia Virgo advertens alias Mulieres tam
diu in confessionali detineri, se autem tam cito
expediri, assiduis urgetur scrupulis, quòd non bene con-
fiteatur, peccata sua singula non explicando; quare
proin suam tentationem semel, iterùmque Confessa-
rio suo aperit. Quæritur, quomodo hæc ei tentatio
scrupulùsque sit eripiendus?

Responsio.

LI. Primò illi bene explicet, quid sit bene con-
fiteri, quòd videlicet ista vox *bene* duplicem sensum
in hac materia habere possit. 1. Ut idem significet
ac *sufficienter*, ita ut præcepto Confessionis integre
satisfiat, sua peccata confiteri, & ut sic plus non
quiritur, quàm ut quis omnia peccata mortalia qua-

rum memoria post diligentem conscientiae discussione-
nem occurrit, cum debitis circumstantijs & numero
Confessario aperiat. 2. Ut idem sit ac *perfectè*, seu
eo modo, quo homines perfectionis Studiosi solent,
confiteri; & ut sic plùs non requiritur, quàm ut omnia
peccata, etiam venialia, quæ memoriæ occurrunt, ex-
plicet; ad quem tamen modum tam parùm, atque
ad ipsam perfectionem obligantur.

LII. Secundò ostendat eidem, non nisi mora-
lem in examine Confessione præmittendo diligentiam
requiri, atque aded, si post talem diligentiam adhi-
bitam nihil ei ampliùs occurrat, securam in conscien-
tia esse posse, certòque sperare, quòd omnia peccata,
quæ memoriæ non occurrerunt, simul cum alijs re-
mittantur, modò universalem de illis etiam dolorem
elicuerit. Ex hoc fundamento Vasquez, Layman,
Sanchez, Azor & alij docent, scrupulosos ea dun-
taxat confiteri debere, quæ manifestè cognoscunt esse
peccata; imò de quibus jurare possint, à se esse com-
missa, uti Tannerus docet.

LIII. Tertio ostendat illi, Conscientiam severo &
prudenti Pædagogo similem esse, qui licet interdum
minora peccata dissimulet, nullum tamen eorum, quæ
graviora sunt, & majus damnum creare possunt, in-
correctum dimittit. Unde meritò sibi persuadere po-
test, si gravius quodpiam delictum admisisset, fore,
ut perpetuis angeretur stimulis, donec tale peccatum
per Confessionem expiasset.

LIV. Quarto ut tantò clariùs cognoscat, quàm ina-
nis sit iste illius timor & scrupulus, ipse eam inter-
dum examinet circa talia peccata, quæ ab ejusmodi
Personis committi solent, ut, dum ad plerasque quæ-
stiones

stiones negativè responderit, manibus quasi palpare suum errorem incipiat, faterique cogatur, se cum divina gratia pleraque peccata devitasse, atque adeo gratulari sibi potius, & gaudere debere de tali gratia & favore, quàm inutilibus scrupulis & tristitiâ se cruciare.

LV. Quintò enarret illi varias rationes, ob quas aliqui interdum Confessionem longius protrahunt, quarum tamen, quia vix ulla ipsam attingit, mirum eam non debere, si alij longius tempus, quàm ipsi in confessione facienda infumant. Ejusmodi autem rationes esse possunt, quòd alij generalem confessionem faciant, alij Sacrilegas Confessiones à multis annis repetere cogantur: alij in magno luctu & tribulatione sint constituti, quos proin, dum causam sui luctûs explicent, patienter audire, & varijs rationibus solari oporteat: alij peccata sua cum multis ambagibus & historijs enumerent, quos tamen Confessarius sæpe, ne perturbet, aut contristet, corrigere non potest: alij, quia ob confessionem dilatam multas sordes congregârunt, longiori etiam examinatione opus habent: alij ob varias obligationes faciendæ restitutionis, occasionis vitandæ, consuetudinis malæ deponendæ, acrioribus stimulis, & Instructionibus, qui tam brevi tempore adhiberi non possunt, incitandi sint: alij denique varijs scrupulis & dubijs interdum graviter vexentur, quos eripere uti perquam plerumque laboriosum est, ita longior rem etiam moram requirit. Ex quibus sanè rationibus satis apparet, non semper inutiliter & frustra confessiones protrahi, neque suo pede quempiam alio metiri debere, cum sæpe ratio aliqua ex prædictis altero locum habeat.